MISSALE ZAGRABIENSE
Diözese Agram, 3. Viertel 15. Jh.
Seite 84r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



expugnauerunt me a iuuentute
mea. ℣. Etenim non potuerunt
mihi super dorsum meum fabricauerunt
peccatores. ℣. Prolongauerunt iniqui-
tatem sibi dominus iustus concidet
ceruices peccatorum. Secundum iohannem.
In illo tempore dicebat ihesus turbis
iudeorum et principibus sacer-
dotum. Quis ex uobis argu-
et me de peccato? Si ueritatem
dico: quare uos non creditis
mihi? Qui ex deo est: uerba
dei audit. Propterea uos
non auditis: quia ex deo
non estis. Responderunt igitur
iudei et dixerunt ei. Nonne
bene dicimus nos quia
samaritanus es tu. et de-
monium habes? Respondit
ihesus. Ego demonium non
habeo: sed honorifico patrem meum,
et uos inhonorastis me.
Ego autem non quero gloriam
meam: est qui querat et iudicet.
Amen amen dico uobis: si quis
sermonem meum seruauerit:
mortem non uidebit in eternum.
Dixerunt ergo iudei. Nunc co-
gnouimus quia demonium
habes. Abraam mortuus
est et prophete: et tu dicis si
quis sermonem meum seruauerit
mortem non gustabit in eternum.
Nunquid tu maior es patre
nostro abraam qui mortuus est?
Et prophete mortui sunt. Quem
teipsum facis? Respondit ihesus.
Si ego glorifico meipsum:
gloria mea nihil est. Est
pater meus qui glorificat me
quem uos dicitis quia deus
uester est: et non cognouistis
eum. Ego autem noui eum:
et si dixero quia non scio eum,
ero similis uobis mendax. Sed
scio eum: et sermonem
eius seruo. Abraam pater uester
exultauit ut uideret diem
meum: et uidit et gauisus est.
Dixerunt ergo iudei ad eum.
Quinquaginta annos nondum
habes. et abraam uidisti? Dixit
eis ihesus. Amen amen dico uobis:
antequam abraam fieret ego sum.
Tulerunt ergo lapides iudei:
ut iacerent in eum. Ihesus autem
abscondit se. et exiuit de
templo. offertorium Confitebor tibi